

Prilog

GREGORII NAZANZENI THEOLOGI ORATIO IN SANCTUM PASCHA E GRÆCO IN LATINUM CONVERSA, PER NICOLAUM PETREIUM

Tekst priredila Marta Kontić

Napomena o priređivanju izdanja

Tijekom transkripcije Petrovićeva prijevoda XLV. govora sv. Grgura Nazijskog uočeno je pokoje pokvareno mjesto, no ozbiljnijih problema s restitucijom teksta nije bilo, izuzevši izvornu interpunkciju, koja je gotovo u cijelosti podvrgnuta modernizaciji. Isto vrijedi i za sastavljeno i rastavljeno pisanje riječi, kao i za pisanje velikih i malih početnih slova, koja su u izdanju usklađena sa suvremenim načelima. Početno je veliko *V* mijenjano u malo *u* osim u slučajevima kada je početno slovo moralo ostati veliko zbog poštivanja pravopisnih normi. Nestandardne su grafije, poput *resurexit* i *effoeminatum* umjesto *resurrexit* i *effeminatum*, sačuvane, ali naznačene uskličnikom. Željeli smo, naime, s jedne strane tekst prirediti tako da što više reprezentira grafijom karakterističan izvornik, a s druge omogućiti čitanje uz vlastite intervencije i upozorenja. Mjesta koja su zbog kakve veće pogreške, moguće nerazumljivosti ili nekog drugog razloga zahtijevala ispravak, ispravljena su u samom tekstu uz napomenu o ispravljanju i stanju u izvorniku. Pokrate su razrješivane bez posebne napomene. Folijacija je naznačena među kosim crtama i jednaka je onoj na marginama rukopisa, a različita od Jurićeve. Biblijski navodi i parafraze identificirani su uglavnom zahvaljujući komentarima u Migneovoj *Patrologiji* te u engleskome izdanju govora u zbirci *Nicene and Post-Nicene Fathers*.¹ Sigle biblijskih knjiga donesene su prema *Biblia Sacra iuxta vulgatam versionem*, Deutsche Bibelgesellschaft, Stuttgart, 1994.

¹ G. Nazijanski, n. dj. (26), 623–664, i Charles G. Browne i James E. Swallow, »Oration 45«, *Nicene and Post-Nicene Fathers* (internet, 21. rujna 2022).

/76v/ Gregorii Nazanzeni Theologi Oratio in sanctum Pascha e Græco in Latinum conuersa, per Nicolaum Petreium

(1) Super custodiam meam stabo,² admirabilis Abacuc inquit, cum quo et ipse hodie, ob illam quam mihi Spiritus potestatem atque speculationem exhibuit. Et considerabo atque deprehendam quae illa sunt quae inspexero ac quae mihi dicentur.³ Et steti, et consideraui. Et ecce uir, qui super nubes ascenderat, excelsus ualde, cuius quasi angeli aspectus erat⁴ eiusque amictus ut splendor fulguris praetereuntis⁵ fuerat. Iste nanque ad orientem elata manu magno cum clamore uocem emittit, cuius uox ut tubae sonantis fuerat eumque circumsteterat multitudo caelestis exercitus. Et dixit: »Hodie uisibilis mundi atque inuisibilis salus facta est. Christus a mortuis resurrexit (!), corresurgite; Christus in se ipsum reuersus est, reuertimini; Christus de sepulchro, ex uinculis peccati liberamini. Inferni reserantur portę et mors ipsa destruitur, antiquusque (!) Adam seponitur⁶ et nouus completur. Noua creatura quae in Christo estis, renouamini.«⁷ Haec quidem ille dixerat. Ipsi autem, quod et prius cum nobis in carnis natiuitate apparuit, cecinerunt »Gloria in altissimis Deo, et Pax in terra, inter homines propensa affectio,«⁸ cum quibus idem inter uos mea uox sonat. Sit et nobis uocem, quae angelicae conueniat et quae per omnes totius orbis fines /77/ insonet, fas nunc assumere.

(2) Pascha, Domini Pascha, et tertio Trinitatis honore Pascha repetam. Hoc nobis festum omnium festorum et solemnium cerimoniarum celebritas est. Tantum hoc, inquam, uniuersa festa, non modo quae mortalium ac saeculi huius humilia, sed quae Christi ipsius atque in eius memoriam instituta sunt, ut sol caeteras stellas exuperat. Nam et hesterna⁹ luminarium et lucem ferens illustratio egregie¹⁰ nobis illuxit, quam priuatim et publice omne mortalium genus ac pene omnis dignitas concelebrarunt, cum noctem ipsam largissimo igne illustrarent, et qui magno illi lumini respondeat, quantum autem coelum ipsum superne uniuersum mundum illuminando, pulcherrimis quae in ipso sunt luminibus, irradiat, quantumque illud quod super coelos est atque in ipsa prima lucida angelorum natura, quod inde a primo illustratur; tum, quod in ipsa est Trinitate, a qua uniuersi luminis constitutio prouenit, quod ex indiuisibili lumine in partes diuiditur ac ueneratur. Tanto enim longe his omnibus odiernum (!) lumen pulchrius atque illustrius est, quanto illud

² Hab 2,1.

³ *Ibid.*

⁴ Jud 13,6.

⁵ Nah 2,4.

⁶ Eph 4,22.

⁷ II Cor 5,17.

⁸ Lc 2,14.

⁹ *Correxī ex externa.*

¹⁰ *Correxī ex egregiae.*

hesternum¹¹ lumen, quod lumen illud magnum suscitabat, istius praeuium fuerat, et quasi hilaritas quædam, quæ festum praecedit, extitit.¹² Resurrectionem¹³ quippe ipsam hodierna die celebramus, haud illam quidem /77v/ spe, sed re ipsa consecuti, et quae iam uniuersum mundum ad se contrahit. Alius igitur festiuitati huic eorum, qui tum diuini Spiritus munere, tum Dei gratia decoratur, pro sui ingenii captu aliquid praeconii largiatur. Illam uero pro meritis celebrare, prima illa intellectua-
lis, puraque coelestium¹⁴ spirituum natura, quae supernam gloriam contemplatur ac testis eius adsistit, tametsi ipsi omnifarias laudes dicere facultas detur, uix quidem posset. Nos uero sermone pro uirili optimo ac celeberrimo utemur, presertim cum uerbum ipsum de ea, quam rationali naturae contulit beneficentia, celebremus. Ex hoc nanque principio ordiemur. Cum enim mihi sermo de illa celeberrima uictima, ac de die maxima omnium diuinorum dierum habendus sit, fieri quidem non posset, quin inde principium sumendo ad Deum recurram. Vos igitur omnes, quos ista maxima afficiunt uoluptate, puram mihi mentem auresque ac cogitationem adhibete, quia nobis de Deo atque diuinis rebus oratio habenda est, ut ipsa re uera uoluptate, a qua omnis uanitas abest, frui possitis. Nostra siquidem oratio de hac re copiosissima simul ac breuissima erit, ne, si exilis fuerit, molestiam afferat, si uero exuberet, ab omni sit delectatione aliena.

(3) Deus enim erat et est atque erit semper, uel esse illum potius perpetuo dixeris. Illud uero, *erat* atque *erit* nostri temporis sunt sectiones ac quæ fluxibili naturae conueniant. Nam, qui semper /78/ est, et hoc sibi ipse nomen imponit,¹⁵ tunc cum Mosem ipsum in monte alloqueretur. Totum enim Esse in se ipso comprehensum habet, quod principio ipso ac fine caret, ut pelagus quoddam infinitae atque interminatæ substantiæ, qui ab omni et temporis et naturae intelligentia excidit, a mente duntaxat obscura admodum ac permodica cognitione adumbratus. Non ex his quae in ipso, sed quae circa ipsum sunt, a nobis deprehenditur, dum mens ipsa ex alia in aliam sese imaginationem ratiotinatione (!) colligens ad unam ueritatis imaginem accedit. Quae, priusquam deprehensa fuerit, subtrahitur ac priusquam agnoscatur consyderationem effugit, tantum principalem animæ nostrae partem et eorum qui puram hanc sortiti sunt lumine suo perlustrando, quantum oculos ipsos uelox coruscationis fulgor percurrit, non alia (ut ipse reor) de causa, quam ut ipsam, illo quod deprehendi potest, ad se atrahat (!). Exacte enim lumen illud deprehendi non potest et spem omnem atque conatum effugit, ut autem illo quod deprehendi nequit admirationem ipsi incuciat (!) et ex illius admiratione maius eidem desyderium inascatur (!), ex desyderio ipso purgationes sumat, purgata uero Deo similis efficiatur. Cum uero tales effecti fuerimus, uti cum familiaribus

¹¹ *Correxi ex* externum.

¹² *Correxi ex* exit.

¹³ *Correxi ex* Resurrectio (!).

¹⁴ *Correxi ex* coelelestium.

¹⁵ Ex 3,13–14.

uersatur (iuuenile quoddam oratio nostra p̄sumit) Deus, diis ipsis unitus et ab eis deprehensus, /78v/ et tantundem fortasis (!) quantum ipse agnoscit qui ab eo cogniti sunt¹⁶. Deus itaque infinitus habetur, et qui animaduersione difficulter comprehendi potest, et hoc in ipso duntaxat deprehendere quod infinitus habetur queas; et quispiam putauerit, quod simplicis naturae sit, aut esse quod nullo pacto deprehendi queat, aut quod penitus deprehendi potest. Quidni Ens ipsum quod simplicis naturae est inquiramus? Haud quidem simplicitatem ipsam naturam eius dixeris, neque eorum quę composita sunt illud compositum tantummodo (!) naturam eorum putares.

(4) Cum autem de infinito duplex consyderatio sit, a principio uidelicet et a fine, infinitum enim quod ab his terminis non perscribitur ac quod ipsos excedit est. Cum enim mens nostra ad illud quod superius est profundum respexerit, et non habeat ubi consistere possit atque imaginibus, quę de Deo sunt, inniti, illud, quod inibi infinitum atque impenetrabile est, absque principio nuncupauit. Cum uero ad ea quae inferius ac continuato ordine consistunt, immortale atque ab interitu alienum dixit. Cum autem uniuersum comprehenderit, sempiternum. Nam aeternitas neque tempus, neque temporis aliqua portio habetur, neque mensurae obnoxia redditur, sed, quod nobis tempus solis progressio metitur, hoc aeternitas in sempiternis est, quod simul cum his quae semper existunt quasi temporis quidam motus atque spatium extenditur. Haec nanque in presentia mihi /79/ de Deo philosophari uisum est. Neque enim his ulterius progredi oportunum (!), cum non theologica complecti, sed dispensationem perscribere agressi (!) sumus. Nam cum nos Dei nomen dixerimus, Patris et Filii et Spiritus Sancti intelligimus; nec Diuinitas ipsa ultra hunc numerum effunditur, ne forte deorum turbam inducamus, aut, si intra horum trium terminos ipsam praescripserimus, aegestate (!) Diuinitas arguatur, ut, cum summam uidelicet rerum potestatem uni tribuerimus, cum Iudeis sentire, aut multitudinem potestatum adducentes gentilium sequi errores uideremur. Nam scelus in utroque horum, quamuis contraria sint, simile inuenitur. Sic itaque Sancta Sanctorum, quae a Seraphin uelantur ac glorificantur ter repetita sanctificatione,¹⁷ in unam potestatem atque Diuinitatem conueniunt,¹⁸ de quibus quidem ante nos quendam egregia atque sublimi speculatione philosophatum fuisse compertum habemus.

(5) Quoniam uero summę bonitatis haud quidem hoc satis uisum est, quod sui speculatione tantummodo (!) moueatur, sed bonum ipsum in plura promoueri atque procedere debere, ut plurima eius beneficio promerentur (hoc enim supremae bonitatis argumentum extitit), primum angelicas atque coelestes potestates mente concepit, et is quidem mentis eius conceptus opus Verbo completum ac Spiritu /79v/ perfectum extitit. Atque ita secundi splendores constituti sunt, qui primo

¹⁶ I Cor 13,12.

¹⁷ *Correxī ex* sactificatione.

¹⁸ Is 6,2 *sqq.*

illi splendori ministerio adsistunt, quos autem intellectuales spiritus aut ignem (materiae, inquam, ac corporis expertem), aut aliam quampiam naturam illis quos asseruimus proximam putandum est. Hos siquidem spiritus¹⁹ ad malum immobiles esse, ad bonum tantummodo (!) motu praeditos asseuerarem, utpote illos, qui Deum ipsum circumstant primique Dei ipsius lumine illustrantur: nam, quæ apud nos sunt, secundae illuminationis habentur. Verum enimvero ipsos haudquaquam immobiles, sed qui difficulter mouentur uel existimare uel dicere inde persuasissimum habuerim, quod Lucifer ille propter splendorem Lucifer, propter elationem uero Tenebræ fieri atque appellari meruit; tum potestates que sub ipso defecerant, quia boni illius desertores extitere, scelerum patratores habentur, et eorum nobis mediatores sunt.

(6) Ita enim bonitati ipsi mundum intellectualem atque his de causis constituere (!) uisum est, ut nos breui admodum oratione de his quae maxima sunt philosophantes perpendimus. Cum autem creatori prima haec optima esse uiderentur, secundum excogitauit mundum, materialem atque uisibilem, qui ex coelo terraque, atque ex his quæ in medio horum sunt, constitutus atque concretus est, ob singula quæ in ipso accommodata sunt celebrandus, maiore uero praeconio efferendus, quod omnia concinno /80/ admodum ordine atque concordia harmonia consistere in ipso uisuntur, cum singula – alterum ad alterum et uniuersa ad uniuersum – ad unius mundi constitutionem (!) recte procedant. Et hunc quidem hac de causa creauit mundum, ut plane ostenderet se non modo propriae suae naturae constituendae, sed a sua penitus alienae omnimodam potestatem habere. Peculiare nanque Diuinitati ipsi atque proprium intellectuales naturae, et quae intellectu duntaxat deprehendi queunt, usquequaque habetur, alienum uero ab ipsa, quod sensus deprehendit, atque horum longe remotiora, quæ anima carent ac motus expertia sunt.

(7) Intellectus itaque ac sensus, in uicem adhuc hoc pacto discreti, intra proprios terminos continebantur ac Verbi creatoris magnifica opera in se extollebant, tacite magnificentiam eius ac celeberrimo praeconio efferentes. Nondum enim ex utroque temperamentum et quedam contrariorum mistella, maioris sapientiae argumentum, nec circa naturas largitas, neque omnis bonitatis eius thesaurus extiterat, per quae maior creatoris sapientia innotesceret. Cum iam opifex Verbum haec palam ostendere, et animal edere ex utraque natura – uisibili, inquam, atque inuisibili – compositum statuisset, hominem procreauit, ab ipsa /80v/ quae iam parata fuerat materia corpus desumens, ex se ipso autem spiritum indidit (hoc nanque sacrae literae intellectualem animam atque Dei imaginem esse animaduertunt²⁰), quasi alterum quendam mundum, in paruo magnum, super terram constituens, alium angelum, adorantem, mistum (!), uisibilis naturae arbitrum, intellectualis uero arcanorum peritum, terrestrium (!) regem quique a superioribus regitur, terrae ac coelo accomodum (!), temporarium atque immortalem, uisibilem atque intelligibilem, medium inter excelsa atque humilia, qui idem spiritus et caro

¹⁹ *Correxī ex spiritus.*

²⁰ Gen 1,27; 2,7.

est – alterum propter gratiam, caro uero ob fastum est – ut ex altero permaneat atque se beneficio afficientem glorificet, altero uero patiatur et patiando reminiscatur et corrigatur, magnitudine elatus, animal quod hic potestate pressit alio uero migraturum sit, atque, in mysterii fine, ad Deum innuens diuinum efficiatur. Ad hoc enim in me moderatum ipsius ueritatis excelsius lumen hoc in loco prouenit, ut Dei splendorem inspicere ac sustinere queam, illo, inquam, dignum, qui ligare et soluere potest, ac denuo altius colligaturus est.

(8) Hunc siquidem in paradiso collocauit,²¹ quicumque paradisi ille quandoque fuerat, (libero suae uoluntatis arbitrio insignitum, ut bonum ipsum non minus esset elligentis (!), quam eius /81/ qui semina largitus est) uti immortalium plantarum, diuinarum fortassis cogitationum, quę simpliciores ac perfectiores sunt, cultor existat. Quem, nudum simplicitate ipsa, ac uita quę omnium artium expers fuerat, omni uestitu atque operimento uacuum procreauit; hunc autem a principio huiusmodi esse decuit. Et legem ipsi, materiam libero suae uoluntatis arbitrio, tradidit. Lex autem ipsa mandatum erat, quibus fructibus illi uescendum, quibusue abstinendum fuerat. Hoc nanque lignum scientiae erat, quod neque ab initio nequiter plantatum, neque inuidia uetitum fuerat (abstineant linguis in hoc impii Deum impugnantes, neque serpentem imitentur²²), sed optimum quidem, si oportune (!), sumeretur. Planta enim meditatio fuerat – quemadmodum mea meditatio est – qua solis perfectiorem habitum uitae sortitis secure uti expedit, contra uero his, qui remissiore in cupiditatibus uitae genere utuntur. Non secus ac solidus cibus his, qui paruuli sunt ac lacte indigent, accomodus (!) nequiquam est. Quoniam uero inuidia Diaboli²³ atque foeminae transgressione, cui, quasi molliori natura praedita, obnoxia fuerat et quasi magis credula (heu, quę mea imbecillitas, mea, quia primae parentis), mandati quod sibi traditum fuerat oblita et amaro illo gustu superata est, atque una a ligno uitae et paradiso a Deoque ipso ob scelus /81v/ expulsa redditur. Tum cuticulari uestimento, crassiore nimirum carne atque mortali, et quę reluctet, amicitur. Ex hoc nanque primum propriam sui turpitudinem agnoscit seque a Deo abscondit,²⁴ et hinc ipsam mortem lucratur. Tum ut peccatum praerumpatur, ne scilicet scelus immortale efficiatur, et supplicium ipsum Dei erga homines benignitas redditur: hoc enim pacto Deum ipsum poenam irrogare crediderim.

(9) Plurimis enim pro innumeris sceleribus, quorum nequitiae radix ex uariis causis atque temporibus propagauit, nos primitus corrigere non destitit: uerbo, lege, prophetis, beneficiis, minis, plagis, aquarum exundationibus, incendiis, bellis, uictoriis, cladibus; coeli ostentis, aeris signis, terre (!), maris; insperatis hominum, urbium atque nationum mutationibus; quorum omnium causa fuerat,

²¹ Gen 2,15 *sqq.*

²² *Correxi ex immitentur.*

²³ Sap 2,24.

²⁴ Gen 3,1 *sqq.*

uti mortales a sceleribus absterrentur. Demum fortiore utique medicamine opus fuit, dum grauioribus egritudinibus (!) laboratur. Secutae nanque ad inuicem mortalium sunt cedes (!), adulteria, periuria, obstinatae dementiae (quod primum atque nouissimum omnium scelerum est), idolorum cultus, et supplicationum a rerum conditore ad res quae creatae sunt mutationes. Quoniam uero haec maiore auxilio indigebant, maius utique adepta sunt adiutorium. Hoc nanque Dei ipsius Verbum, ante saecula genitum, extitit; illud, inquam, inuisibile, incomprehensibile, incorporeum, /82/ principium ab illo qui principium est, lumen de lumine, fons uitae atque immortalitatis, effigies primae imaginis, signum quod amoueri nequit, effigies quae subire nullam permutationem potest, terminus et Verbum Patris, ad propriam sui imaginem progreditur, et carnem ipsam propter carnem assumit, atque animae intellectuali meae animae gratia admiscetur, uti simili simile repurgaret, et ut homo in omnibus efficitur praeter peccatum; qui cum ex Virgine pura conceptus fuisset, quæ nimirum anima²⁵ et corpore prius Spiritu Sancti munere purgata fuerat (nam et natiuitatem honore decorari, et uirginitatem ipsam prae caeteris insignem reddi oportuit), Deus, cum carnis assumptione, unus ex duobus – carne, inquam, ac spiritu – quæ contraria ad inuicem sunt, prodiit; quorum alterum diuinitatem contulit, alterum uero eandem accepit. O nouam permisionem (!), o admirabile temperamentum! Qui est, generatur, et increatus creatur, et qui comprehendi non poterat, media ipsa intellectuali anima inter diuinitatem ac carnis crassitudinem comprehenditur. Nam qui omnes diuites reddit, pauper efficitur; in mea enim carne mendicus degit, ut homo ab eius diuinitate diues reddatur. Tum qui plenus est exinanitur; sua enim se gloria ad breue tempus exinaniuit, ut homo /82v/ ipsius plenitudinis particeps fieret. Quinam iste bonitatis thesaurus? Quid hoc arcanum quod erga me factum est? Nam cum eius similitudinem sortitus fueram, illam non custodiui; ipse enim carnem meam assumere uoluit, uti et imaginem saluam redderet, et carnem meam immortalitate donaret. Secundam enim communicationem tanto priore magis admirabilem cum homine communicare uoluit, quanto praestantiorem partem tunc impertitus est; impresentia uero deterius assumpsit. Et hoc priore diuinum magis est, hoc hi qui bonae mentis sunt compotes excelsius iudicabunt.

(10) Sed dicet fortassis quispiam eorum qui festiuitati ipsi impensius afficiuntur: »Quidnam ista philosophari opus est? Eia, equum (!) ad stadium promoueas; quae ad festiuitatem attinent, quibus hodierna die incumbimus, prosequere.« Atqui libens obtemperabo, tametsi paulo altius exorsus sim, dum me orationis ac desyderii uis impelleret. Haud equidem ingratum disciplinae ac bonarum rerum studiosis futurum arbitror, si quid de ipsius Pascatis (!) nomine obiter disseruerim. Non enim haec aduenticia introductio parum audientium auribus blandietur. Hoc nanque magnum Pascha ac uenerandum, apud Hebreos in eorum sermonis

²⁵ *Correxī ex amima.*

usu *Phasca* nuncupatur; hoc quidem nomen transitum denotat.²⁶ Qua autem ad historiam, ob eorum ex Aegypto (!) ad Cananeam fugam atque transmigratiōem; qua uero ad spiritualia, /83/ ob progressionem atque ascensum ab inferioribus ad superiora atque promissionis terram; quorum frequens est in sacra pagina usus, cum nomina quaedam obscuriora ad ea quae magis perspecta sunt transmutantur, uel cum ab ineptioribus ad uenustiora permutatio fit, quae res hic etiam perspicua redditur. Quidam uero ex literarum permutatiōe (fi in pi²⁷ commutando, et cappa in chi) ab ipsius Christi *passione* nomen diei ipsius *Pasca* (!) indidere. Quae uox cum in consuetudinem abiisset, firmiorem usum obtinuit, cum huic uerbo, ut magis pio, quamplurimi attentiores aures adhibuissent.

(11) Omnium enim legem ipsam umbram habere futurorum bonorum atque intellectualium,²⁸ a diuino prius est ante nos Appostolo (!) definitum. Et Deus, cum ante hunc Moisi (!) in monte praecipiens responsum dabat, »Omnia enim per figuram quam tibi in monte ostendimus ages«²⁹ inquit, quasi adumbratiōe quadam ac designatione eorum quae inuisibilia sunt ea quae uidentur ostendens. Et quidem plane persuasum habeo nihil ex his temere, aut citra rationem uel abiectum, neque quod Dei ipsius sanctione ac Moysis ministerio indignum fieret constitutum fuisse, tametsi quamlibet umbram subtili (!) interpretatiōe indagando explicare difficillimum habeatur. Quae autem de ipso tabernaculo, mensurisque ac materia, nec non de leuitis atque ministris ipsum /83v/ gestantibus, quaeue de sacrificiis, expiationibus (!), ac uictimarum partibus in lege scripta sunt, et solis haec qui Moseos uirtutem calent speculanda sunt, uel qui ad eius disciplinam proxime accedunt. Quoniam et in monte ipso homines Deum imaginatione comprehendunt – tum quod ipse ex propria sui specula descendit, tum quod nos ex humili ista condiciōe ad superna adducit – uti a generabili natura, pro ipsius captu et quantum secure potest, ipse, qui incomprehensibilis est, deprehendi queat. Nunquam enim materialis corporis ac constrictae deuinctaeque mentis crassitudo absque auxilio ad singularem Dei intelligentiam accedere posset. Tunc igitur haud equidem omnes huiusce ordinis atque condiciōis digni efficiuntur, sed hic aliam, ille uero aliam sortitur gratiam, ut quisque est pro se puriorem mentem adeptus. Nonnulli uero ab ipsa penitus procul sunt et solam duntaxat uocem desuper uenientem percipere queunt, quibus ingenium ad ferociorem naturam declinat, Deique ipsius mysteriorum indigni censentur.

(12) Nos tamen cum media quaedam inter eos qui exactissimae speculationis atque absoluti ingenii ui praediti sunt eosque qui crassiore Minerua impediuntur a natura ipsa beneficia sortiti sumus, pro uirili de his disputare conabimur, ne omnino desides atque remissi, aut contra curiosi admodum atque a proposito re-

²⁶ Ex 12,11.

²⁷ *Correxī ex pi in fi.*

²⁸ Heb 10,1; Col 2,17.

²⁹ Ex 25,40.

moti alienique esse uideremur; cum alterum nescio quo pacto Iudaicum /84/ atque abiectum, alterum uero somnia coniectantium, et utrunque simul reprehensioni obnoxium habeatur. Neque enim conatus hos nostros absurdos utique, aut quod multis risum moueant, futuros speramus. Cum nos a principio ob peccati lapsum deiecti, atque a uoluptate ipsa decepti essemus, sic ut ad idolorum cultum atque impios sanguinis ritus procederetur, reuocari denuo atque ad antiquae condicionis statum reduci per uiscera misericordiae Dei seruatoris nostri necessarium fuisse existimo, qui damno affici in homine, tam praeclaro manuum suarum opere, haudquaquam sustinuit. Quonam igitur pacto instaurari poterat, aut quid fieri oportebat? Truculentum enim medicamentum abiciendum fuerat, siquidem persuasionem aut plagis, propter diurni temporis quae in ipso inoleuerat superbiam, reduci non poterat, at placido potius, benignoque medicamine, quo ad emendationem dirigeretur, uti necessarium extitit. Haud ita quidem ac siquis incuruum ramum dirigere aggrediretur – repentinam ille uiolentae manus inclinationem non sustineret illumque prius frangi quam dirigi contigisset – nec, si quispiam equum (!) de grege captum ferocemque, necdum freno assuetum tentaret absque blandimentis ac popismatibus, placidum manibusque assuetum reddere /84v/ unquam potuisset. Quam ob rem lex nobis ad praesidium media, quasi murus inter Deum atque idola, data est, quae nos absterreret ab illis ad Deumque ipsum adduceret. Tum exiguum nescio quid a principio indulsit, ut quod eximium est capiat – permisit quidem tunc uictimas,³⁰ ut Deum stabiliret – demum cum tempus aduenerit ut et uictimarum sacrificia deleret, permutans nos summa sapientia sensim subtrahendo,³¹ dum nos ad Euangelium perduceret, iam exercitamento assuetos, ut dicto audientes simus.

(13) Hoc igitur pacto atque his de causis scripta lex orta est, quae nos ad Christum perduxit, et uictimarum ratio, pro nostra sententia, huiusmodi habetur. Ne uero sapientiae eius profundum, neque incomprehensibilem eius iudiciorum diuicias (!)³² ignores, haud equidem ipsas pollutas atque inutiles (!) destituit, ut neque ad exilem quidem sanguinem procederetur; sed eximiam atque immactabilem (ut ita dixerim) hostiam, quantum ad primam naturam pertinebat, sacrificiis quae ex lege fiebant immiscuit, quae quidem non modicam duntaxat totius orbis terrarum partem, neque ad breue tempus, sed uniuersum orbem atque perpetuis temporibus expiaret. Quapropter Agnus, innocentiae (!) gratia, atque uetustae nuditatis indumentum sumitur.³³ Talis siquidem uictima, pro nobis oblata, immortalitatis indumentum et est re ipsa, et appellatur (!). /85/ Perfecta quidem, non modo propter Diuinitatem ipsam, qua nihil perfectius habetur, sed etiam ob illam assumptionem, quae Diuinitati illita fuerat, et quae idem ut illud, quod illinierat, fuerat effecta et, quod dicere ausim, Deo persimilis. Masculus uero, utpote qui pro

³⁰ *Correxī ex uictimass.*

³¹ *Correxī ex subtrahendo.*

³² Rom 11,33.

³³ Ex 12,3 *sqq.*

Adam offerebatur, maxime firmiter eo quod firmum fuerat (primus enim propter peccatum ceciderat), et quod praesertim nihil effoeminatum ignaumque prae se ferret, sed plurima potestate ex uinculis uirginis atque maternis ui erumpens, et mas a prophetissa (ut Esaias inquit) genitus est.³⁴ Anniculus quidem, ut Sol iusticiae (!),³⁵ siue quod illinc processerit, siue quod a uisibili circumscribitur atque in se ipsum reuertitur; corona benedictionis³⁶ laudabilis,³⁷ quae undique aequalis sibi atque simillima est. Et non solum hoc, sed qui uirtutum circulum uiuificat, quae comistae (!) inuicem, placidae, amiciciae (!) atque ordinis lege, temperatęque sunt. Sine macula atque uicii (!) expers, utpote qui uiciata (!) emendet, quae a scelerum defectibus atque inquinamentis proueniunt. Si enim et peccata nostra ipse tulit languoresque portauit,³⁸ nihil tamen ipse eorum quę curatione indigerent passus est; tentatus quidem in omnibus in similitudine nostra est absque peccato.³⁹ Nam qui lucem, quae in tenebris illuxit,⁴⁰ persequebatur, illam haudquaquam /85v/ deprehendit.

(14) Quid præterea? Mensis primus, sed mensium potius principium introducit,⁴¹ siue aliquis a principio apud Hebreos hoc erat, siue posthac ex eo primus factus est, ut a mysterio primatum desumserit (!). Decima autem mensis, iste quidem omnium numerorum est perfectissimus; ex unitatibus prima unitas perfecta habetur, et ab hac perfectionis generatio fit. In quintum enim diem seruatur, nempe quod huiusmodi sacrificium sensoria ipsa, quibus in crimina prolabimur, emundat; atque ab his bella ipsa proueniunt, dum per ipsa peccati stimulus admittitur. Hic autem agnus non ab agnorum grege tantummodo (!) desumitur,⁴² uerum etiam a deteriorum specie, quę aedorum (!) est, qui a sinistra ponuntur;⁴³ quia non modo pro iustis, uerum etiam pro peccatoribus hostia mactatur, quin tanto magis fortasse pro his, quanto maiore miseratione indigemus. Quod uero agnus per singulas domos praesertim requiritur, mirum neutiquam est; sin minus, at saltem per familiarum domos, propter inopiam, conferatur. Et quidem hoc praestat, uti quisque sibi ad perfectionem per se sufficiat, et hostiam uiuentem, sanctam, Deo sese uocanti offerat, quae ubique atque ab omnibus in sacrificium exhibeatur. Sin autem id fieri per se nequit, at eorum auxilio utendum est, qui uirtutibus cognati comparesque extiterint; hoc itaque pacto uelle fieri uidetur, uti qui proximi sunt, sacrificiis, si eis /86/ opus fuerit, participant.

³⁴ Is 7,3.

³⁵ Mal 4,2.

³⁶ *Correxi ex benedictinis.*

³⁷ *LXX*: Ps 64,12.

³⁸ Is 53,4.

³⁹ Heb 4,15.

⁴⁰ Jo 1,5.

⁴¹ Ex 12,2 *sqq.*

⁴² Ex 12,5.

⁴³ Mt 25,33.

(15) Hinc sacratissima nox est, quę præsentis uitae nocti, quę confusa est, contraria habetur, per quam primarum tenebrarum origo resoluitur, et in lucem, ordinemque, atque formam uniuersa conuertuntur, et prioris status perturbatio ad sui decorem redigitur. Hinc Aegyptum (!) fugiamus oportet, austerum nimirum ac quod nos persequitur peccatum, Pharaonemque inuisibilem tyrannum, acerbosque agendorum operum autores ad superiorem mundum nos transmutantes; nos denique ab argilla latericiisque operibus, glumosaque ac fallaci huius carnis constitutione liberos statuamus neque ipsam glumosis cogitationibus teneri diucius (!) sinamus. Hinc nanque agnus immolatur, et actiones atque ratio, siue habitus atque operationes, quę postium nostrorum liminaria sunt, precioso sanguine obsignantur. Hoc siquidem sit cum mentis nostrę motus ab ipsa speculatione recta ratione reserantur et clauduntur; moderatas nimirum mentis deprehensiones esse necesse est. Hinc enim extrema ac grauis plaga his qui nos prosequantur (!), ac re ipsa nocte ac tenebris digna, paratur; tum Aegyptus (!) primogenita suarum cogitationum atque actionum deflet – quod in Scriptura eximium semen Caldaeum (!)⁴⁴ nuncupatur, et Babilonii (!) infantes ad lapides elisi⁴⁵ atque absumpti – et omnia clamoribus ac uociferatione Aegyptiorum (!) plena. Tum, a /86v/ nostro digressu protinus, eorum exterminator adest, in pudoris atque secessus formidine. Hinc illa septem dierum fermenti eleuatio⁴⁶ (iste enim inter numeros maxime arcanus et qui cum hoc mundo conueniat est) – ueteris atque acetosae (!) nequiciae (!), non illius quae panem conficiat uitamque largitur – ut nulla massę conspersione Aegyptia (!), ac Phariseorum, impiaeque doctrinae⁴⁷ reliquiis uescamur.

(16) Et illi quidem plorent, nos uero Agnum comedemus; ad uesperam quidem,⁴⁸ quoniam in consumatione (!) saeculorum Christi passio orta est, et mysterii apostolos ipsos ad uesperam communicatione impertitus est, dum ipsius peccati tenebras resolveret; non coctus, sed assus igni,⁴⁹ ut oratio ipsa nihil absque speculatione, atque aqueum (!) in nobis, et quod resolui facile possit, habeat, sed tota composita ac firma sit, et quae purgante igne probata inueniatur. Sitque omnis materialis administrationis expers, nihilque in ea superuacuum sit, sed optimi carbones suppetias adsint,⁵⁰ qui intellectualem nostri partem accendant atque perpurgent, ab eo qui ignem mittere in terram uenit,⁵¹ per quem prauitatis in nobis habitus, ex eius iugi inflammatione (!), deleantur. Quod uero carneum orationis atque esui accomodatum (!) est, cum intestinis atque absconditis ipsius

⁴⁴ Idt 5,6.

⁴⁵ Ps 136,8–9.

⁴⁶ Ex 12,19.

⁴⁷ Mt 16,6.

⁴⁸ Ex 12,18.

⁴⁹ Ex 12,9.

⁵⁰ Is 6,6.

⁵¹ Lc 12,49.

mentis comedetur absumeturque,⁵² et ad concoctionem spiritualem partietur. Caput uero cum pedibus, primis uidelicet de ipsa diuinitate speculationibus, /87/ atque his quae nouissima de incarnatione ipsius consyderanda sunt. Nihil enim proiciemus ex eo, neque in crastinum usque relinuemus,⁵³ eo quod mysteria arcanorum nostrorum in plurimis communicanda alienis non sunt, neque ultra hanc noctem expiatio aliqua habetur, et cunctatio ipsa nullo est digna praeconio his qui rationis participes existunt. Quemadmodum enim iram in dies protelare haud laudabile est, sed antequam sol occidat ipsam diluere praestat Deoque ipsi placitum⁵⁴ – et temporis ratione, et mystice (siquidem ut nobis iracundia oppressis (!) iusticię sol occidat pericolosissimum habetur) – ita huiusmodi esum non pernoctare, neque in crastinum reseruari oportet. Quod uero osseum est esuique ipsi minime accomodum (!), quod a nostra animaduersione difficulter deprehenditur, cum male discretum atque perceptum sit, non comminuetur.⁵⁵ Sed dicere omitto quod neque, ut in historia Iesu est, contritum fuit, tametsi, qui crucifixerant,⁵⁶ ad eius mortem propter sabbatum festinarent. Quod residuum fuerit, neque proicietur neque distrahetur, ne scilicet quae sancta sunt canibus exponantur,⁵⁷ et prauis, qui Scripturam dillacerare (!) intenti sunt, obuia fierent; quemadmodum neque quę splendida ac ceu margaritis oratio redimita porcis abicienda est, sed igni quemadmodum olocautomata (!), omnia Spiritu uestigante /87v/ ac cognoscente, qui omnia attenuat atque conseruat, comburantur, non quemadmodum perdita in aquis ac dispersa, ut apud Mosem uituli caput, sunt; quod Israel, ut duri infamiam subiret, inconsulto fabricauit.⁵⁸

(17) Sed neque edendi Agni rationem praetermittere opereprecium⁵⁹ est, cum neque lex ipsa in litera (!), hactenus huiusce rei explicationem deprehendens, praetermisserit (!). Victimam autem festinanter absumemus, et panes azimos (!) cum lactucis agrestibus comedemus, et lumbos praecingemus, habentes calciamenta in pedibus, et senum more baculos in manibus continentes,⁶⁰ festinanter quidem, ne forte ea quemadmodum Lot ille paciamur (!):⁶¹ nam in mandatis defecit. Circa nos non respiciamus, non in tota finitima regione consistamus, uerum ad montem euadere conemur, ne ab illo Sodomitico igne comprehendamur; sed neque in columnam salis concreti reddamur,⁶² cum nos ad deteriora conuerterimus, quod quidem

⁵² Ex 12,9.

⁵³ Ex 12,10.

⁵⁴ Eph 4,26.

⁵⁵ Ex 12,46.

⁵⁶ Io 19,33.

⁵⁷ Mt 7,6.

⁵⁸ Ex 32,19 *sqq.*

⁵⁹ *Correxī ex opereprecium.*

⁶⁰ Ex 12,3 *sqq.*

⁶¹ Gen 19,17.

⁶² Gen 19,24 *sqq.*

cunctatio agere consuevit. Cum lactucis uero agrestibus,⁶³ ob amaritudinem uitae quae in Deum est, atque molestiam quae subditis accidere praesertim solet, quae uoluptatibus est sublimior. Si enim et Christus nouum iugum et onus leue est⁶⁴ (ut Scriptura loquitur), at hoc nobis propter spem ipsam et praemia, quae praesentis uitae laboribus longe cumulatiores parantur, dictum est. Quoniam aliter quidem quis non Euangelii ipsius praecepta Legis praeceptis magis laboriosa grauioraque /88/ esse dixerit? Nam Legis praecepta finem tantummodo (!) peccatorum prohibent: nos uero causis ipsis, uti actionibus, obnoxii sumus. In Lege enim est, non moecaberis (!):⁶⁵ tu uero neque concupisces mulierem⁶⁶ ex curiosa inspectione et laboriosa tuas passiones fouendo. Non occidas, Lex inquit,⁶⁷ tu modo percutienti te uerba non infligas,⁶⁸ sed te paratum ad noua uerba exhibeas. Quanto enim haec illis studiosiora habentur! Non periurabis, in Lege est,⁶⁹ tu autem tam in parua re quam in magna ne iurare quidem sustineas:⁷⁰ quandoquidem iuramentum ipsum periurium parit. Ne domum tuae domui, aut agrum agro applicando, Lex inquit, te pauperiorem potentia oprimas (!):⁷¹ tu uero ea, quae aequo iure possides, libens derelinque et te ipsum talibus spoliando pauperibus eroga, ut leuiter crucem tollere queas et eorum quae non cernuntur diues efficiaris.⁷²

(18) Lumbi autem in ratione carentibus remissi et soluti sint:⁷³ illa enim ratione carent, qua a uoluptatibus cohercerentur; nondum, inquam, illa terminos naturalis motus nouerunt. Tibi uero appetibile ipsum atque hinibile (!)⁷⁴ cingulum ac temperantia comprimat, quae (ut in Scriptura est) a turpibus nos passionibus distrahit, ut pure Pascha ipsum comedere possis, in terra membra tua mortua efficiendo,⁷⁵ atque Ioannis praecursoris in eremo, maximi illius ueritatis praeconis, cingulum immitando (!).⁷⁶ Atqui et aliud cingulum nouimus, quod militare ac fortitudinis /88v/ est, quo bene praecincti Syriae quidam ac monocinguli nuncupantur;⁷⁷ de quo et Deus Iob alloquens admonet. Ne uero, inquit,⁷⁸ sed praecinge

⁶³ Ex 12,8.

⁶⁴ Mt 11,30.

⁶⁵ Ex 20,14.

⁶⁶ Mt 5,28.

⁶⁷ Ex 20,13.

⁶⁸ Mt 5,39.

⁶⁹ Ex 20,7.

⁷⁰ Mt 5,34.

⁷¹ Is 5,8.

⁷² Mt 19,21; Mc 10,21.

⁷³ Ex 12,11.

⁷⁴ Ier 5,8.

⁷⁵ Col 3,5.

⁷⁶ Mt 3,4.

⁷⁷ IV Reg 5,2.

⁷⁸ *Correxi ex iniquiuit.*

tanquam uir lumbos tuos⁷⁹ et ut uirum decet, responsum reddas. Quemadmodum et sanctus Dauid praecinctum se potentia a Deo gloriatur⁸⁰ et Deum ipsum fortitudine indutum et precinctum (!) contra impios perspicue⁸¹ adducit;⁸² nisi aliquis hoc dicat potentiam, quae obducta est et quasi abscondita, ita denotari, ut et lumen ipsum quasi uestimentum seponatur, quemadmodum et in alio loco lumine indutus esse quasi uestimento⁸³ dicitur. Nam eius potentiae atque luminis intollerabile (!) illud sustinere quis posset? Quidnam lumbis atque ueritati ipsi commune est, inquiramus. Quidue Paulus intelligat, cum ait, »State succincti lumbos uestros in ueritate,«⁸⁴ fortassis innuens, ut contemplatiua animi uis appetiscibilem coerceat ipsamque seorsum ferri non sinat? Non enim conceditur, ut, quod in quampiam rem amoris impulsu fertur, in alias uoluptates eandem uim habeat.

(19) Calciamenta uero in pedibus, nam quicumque sanctam terram quam Dei pes calcauit taturus est, calciamenta exuat oportet, quemadmodum et Moses ille in monte egit,⁸⁵ ut nihil ipse mortuum, neque quod medium inter Deum et hominem est, afferat. Quemadmodum, si quis discipulus Christi ad anuntiandum (!) in uniuersum mundum⁸⁶ euangelium mittatur,⁸⁷ philosophico, nec superuacuo cultu uti debeat, quem quidem, praeterquam quod sine pecunia et baculo esse, /89/ tum unico uestimento, etiam sine calciamenti opus est,⁸⁸ ut euangelizantium pacem atque omne aliud bonum speciosi pedes apparerent.⁸⁹ Qui autem Aegyptum (!) fugit, atque ea, quae in Aegypto (!) sunt, calciamenti induatur,⁹⁰ tum ut ab aliis se tutum reddat, tum etiam ut scorpiones atque serpentes effugiat, quibus Aegyptus (!) refertissima uisitur, ne scilicet ab his, qui calcaneo insidiantur,⁹¹ lædi possit, quorum nos caput conterrere (!) praeceptum habemus.⁹² Sic nobis de baculo⁹³ ipso disserere atque obscura interpretari uidetur: nos enim duos baculos nouimus, alterum, quo innitimur, alterum uero pastorum atque magistrorum est, quocum oues ratione praeditæ conuertuntur.

⁷⁹ Iob 38,3.

⁸⁰ Ps 17,33.

⁸¹ *Correxisti ex perspicuae.*

⁸² Ps 92,1.

⁸³ Ps 103,2.

⁸⁴ Eph 6,14.

⁸⁵ Ex 3,5.

⁸⁶ In uniuersum mundum: *in marg.*

⁸⁷ Lc 10,3 *sqq.*

⁸⁸ Mt 10,9–10.

⁸⁹ Rom 10,15; Is 52,7.

⁹⁰ Ex 12,11.

⁹¹ Gen 3,15.

⁹² Lc 10,19.

⁹³ Ex 12,11.

At tibi nunc de eo quo innitaris Legis praeceptum est, ne uero quopiam intellectu claudices, cum Dei sanguinem, cum passionem, cum mortem audies, ne impia cogitatione quasi Deo patrocinatorum traharis, sed sine pudore et nihil ueritus corpus ede, si te uitae desiderium capit, et sanguinem bibe. Caue de carnis uerbis quid suspiceris, neque passionis nomen te laedat: firmus, atque stabilis, imperteritus (!), incedens, neque ab aliquo, quod contrarium est, probabili quapiam ratione ductus, commouearis. Te autem in excelsa constituas, in atriis Hierusalem pedibus stabilitus,⁹⁴ et super petram⁹⁵ firmatus, ne gressus tui, quos ad Deum ipsum direxeris, commoueantur.

(20) Quid inquires? Sic talia nobis /89v/ uidentur: ex Aegypto (!) ferrea, inquam, fornace⁹⁶ egredere, ut tu deorum, quae illic est, multitudinem derelinquas, ut a Mose (!) ipso legumque eius sanctione atque imperio ducaris. Nunc quidem nescio quid, quod meum non est, adducitur, atqui maxime id meum duxerim, si, qua ad spiritualia attinet, considerabis. Mutua ab Aegyptiis (!) aurea atque argentea uasa,⁹⁷ cunque his iter aggredere, tibi que ex alienis rebus, uel ex tuis potius, subsidium para. Pro seruitute atque latericiis operibus mercedem sumas, et tibi aliquod comentum (!), quo tua repetas, struere opus est. Iusta enim ratione ab eis auferto, esto erumnas (!) illic laboresque sustinuisti cum argilla congregiando, dum lassum corpus ac sordibus obsitum, in externorum condendis urbibus et lapsuris, exerceres, quorum memoria cum sonitu perit.⁹⁸ Quid autem? Gratis et absque mercede aliqua egredieris? Quid? Aegyptiis (!) et tibi aduersis principibus, quae turpiter possederunt et turpius absument, derelinques? Non enim illorum ista sunt, populati sunt alios, aliis ista rapuerunt. Nam dicit Dominus, Meum aurum et meum argentum est,⁹⁹ et dabo ea cui uolueris¹⁰⁰. Nuper enim illorum erant, quia illa ipsis concesserat, nunc autem tibi ipsa Dominus praestitit atque exhibuit,¹⁰¹ ut illis honeste atque ad salutem fruaris. Possideamus nobismet ipsis amicos, de mamona (!) iniquitatis,¹⁰² ut, cum defecerimus, iudicii tempore praemium capiamus.

(21) Siqua enim Lia aut Rhachel (!) fueris, animi patriarchalis (!) et magni, et simulachra furator, quae tui /90/ patris inueneris,¹⁰³ non ut ea serues, sed uti destruas atque soluas. Si uero Israelita es sapiens, ad Terram Promissionis te transfer, cuius gratia, qui te insequetur, doleat seque deceptum agnoscat, quod frustra tyrannidem in se praestantiores exercuisset atque illum presisset (!) seruitute. Si

⁹⁴ Ps 121,2.

⁹⁵ I Cor 10,4.

⁹⁶ Dt 4,20.

⁹⁷ Ex 11,2.

⁹⁸ Ps 9,7.

⁹⁹ Agg 2,9.

¹⁰⁰ Dan 4,14.

¹⁰¹ Mt 20,14.

¹⁰² Lc 16,9.

¹⁰³ Gen 31,19.

autem tu ita egeris atque ita ex Aegypto (!) egredieris, diu noctuque in columna nubis et ignis duceris¹⁰⁴ certum est. Desertum placida habitatio efficietur, diuidetur mare ante te, Pharaos submergetur,¹⁰⁵ panis pluet, petra aquis scaturiet: Amalech non armis tantummodo (!), sed bellicosus iustorum manibus uictus internicione interibit, simul cum oratione insuperabile crucis tropheum (!) formantibus. Fluuuii scindetur,¹⁰⁶ Sol immobilis consistet, luna continebitur, muri absque tormentis demolientur. Vespe (!) praecurrent ante Israel atque externos propellent, et alia quae praeter haec in historia explicantur atque cum his tibi (ne longius orationem protraham) Deus largietur. Talia hodierna die solemnissima celebras, talibus conuiuuiis natalicium illius qui pro te genitus est et qui pro te passus est sepulchralibus frueris. Tale enim tibi Pascha mysterium est. Haec in Lege perscripta erant, haec Christus ipse perfecit, qui literam (!) soluit, qui Spiritus perfectio extitit. Hic enim solus passus est, alios, ut passionem subirent, instruendo; solus glorificatus est qui, ut /90v/ simul cum ipso glorificari possit, largitur.

(22) Nobis autem rem atque decretum scrutari opus est: quod quidem plerique neglexerunt, mihi accuratius indagandum censeo. Cuinam pro nobis sanguis et quam ob causam effusus est? Magna quidem res et famigerata, Dei et Sacerdotis et Victimae. Nos quidem a nequissimo empti sub peccato detinebamur, cum nobis sceleris uoluptas rependeretur. Si autem redemptionis praecium (!) non alterius cuiuspiam, quam qui detinebat, fit, quaero, cuinam hoc ac qua de causa oblatum est? Si enim nequissimo, pape,¹⁰⁷ quid hoc contumeliae, ut haec non a Deo tantummodo (!) accepit, sed quod Deum ipsum praedo redemptionis praecium (!) et mercedem suae tyrannidis adeo eximiam suscipiat, propter quam a nobis ipsum abstinere decebat. Si uero Patri, primum quidem quo pacto? Non enim ab ipso detinebamur. Ad haec, quae malum ratio est, ut Pater ex Filii sanguine oblectamentum capiat, qui neque Isaac sanguinem accipere a patre sustinuit, cum ipsum pater imolandum (!) arae imposuisset. Atqui tunc sacrificium ipsum permutauit, arietem pro uictima ratione praedita supponendo. Vel hoc perspicuum est, quod Pater neque petendo neque rogatus accipit, sed ob dispensationem et quod necessarium fuerat ut homo Dei humanitate sanctificaretur, ut ipse, ui superando, a tyranni potestate nos liberaret atque ad sese per Filium mediatorem reduceret, qui ista in sui Patris honorem /91/ administraret, cui quidem cuncta tribuisse uidetur. Nam quae ad Christum pertinent huiusmodi habentur, plura uero cum silentio ueneremur. Serpens nanque aeneus¹⁰⁸ contra mordentium serpentum ictus suspenditur, non quasi figura sit illius qui pro nobis patitur, sed quasi contrarium, eisque qui ipsum inspiciebant salutem tribuit, non quod ipse in quem credebant uiueret,

¹⁰⁴ Ex 13,21.

¹⁰⁵ Ex 14,28.

¹⁰⁶ Ios 3,15–16.

¹⁰⁷ *Ita, pro papae.*

¹⁰⁸ Nm 21,8–9.

sed quod mortificatus est et potestates ipsas quae sub ipso sunt simul mortificatas reddit, cum pesundatus (!), ut meritis fuerat, esset. Et quaenam funebris oratio, quae ipsum deceat, a nobis constitui possit? Vbi est, mors, stimulus tuus? Vbi, inferne, uictoria tua est?¹⁰⁹ Qui, a cruce depressus, a uiuificante morte multatus es, sine spiritu, exanimis, immobilis, inefficax (!), tametsi serpentis figuram in sublimi expositus serues.

(23) Atqui ipsum Pascha nunc item per figuram sumamus, tametsi antiquo simplicius habeatur. Nam Pascha quod in Lege est, dicere ausim, figura erat ipsa figura obscurior: paulo autem postea perfectius atque purius existet, cum illud nouum bibet nobiscum in regno Patris,¹¹⁰ omnia manifesta nobis efficiens atque de his instruens nos, quae nobis nunc leuiter innotuerant. Nam, illa, quae nobis nunc innotuerunt, noua semper habentur. Quaenam potio ista ac fruitio est? Nostra quidem, ut doceamur, illius uero, ut doceat nos et discipulis suis sermonem suum impertiat. /91v/ Doctrina enim alimentum, et illius qui alimentum exhibet est. Sed age iam et nos Pascha ipsum ad Euangelii, non autem ad Scripturae sensum percipiamus, qui perfectus, non autem imperfectus, aeternus, non autem temporarius sit. Caput autem, non terrestrem Hierusalem, sed illam, quae superna est,¹¹¹ quae omnium mater urbium est, constituamus, non illam, quam nunc exercitus demoliuntur,¹¹² sed illam, quam angeli glorificant. Offeramus sacrificium, non uitulorum et agnorum, qui cornibus atque unguibus armantur,¹¹³ in quibus maxima pars demortua est, ac quæ sensibus uacat, uerumenimvero offeramus Deo sacrificium laudis,¹¹⁴ in ara quae sursum est, cum illo superum coetu. Primum quidem uelamen diuidamus, illi, quod ab ipso est, admoueamur. In Sancta Sanctorum prosiliamus: sed, quod maius est, effabor. Nosmet ipsos in sacrificium offeramus, uel potius per dies singulos atque singulos corporis nostri motus sacrificemus. Omnia pro Verbo ipso suscipiamus, passionibus nostris passiones imitemur,¹¹⁵ sanguinem sanguine honestemus, alacres crucem ascendamus: dulces clauis sunt, tametsi grauem dolorem adferant. Nam praestat pro Christo ac simul cum Christo passionem subire quam cum aliis deliciis frui.

(24) Si enim Simon Cyreneus fueris, tolle crucem¹¹⁶ et ipsum sequere. Si uero ut latro cruci affigeris,¹¹⁷ tanquam gratitudine usus Deum agnoscas. Si enim ille cum iniquis pro te et propter peccata tua reputatus est,¹¹⁸ tu pro ipso legitimus /92/

¹⁰⁹ Os 13,14; I Cor 15,55.

¹¹⁰ Mt 26,29.

¹¹¹ Hbr 12,22.

¹¹² Lc 21,20–24.

¹¹³ Ps 68,32.

¹¹⁴ Ps 49,14.

¹¹⁵ *Correxī ex immitemur.*

¹¹⁶ Mc 15,21; Lc 23,26.

¹¹⁷ Lc 23,40 *sqq.*

¹¹⁸ Is 53,12.

efficiaris. Adora illum, qui pro te in cruce suspensus est: et tu suspensus aliquod commodum a maleficio capias. Lucrator tua morte tibi ipsi salutem. Cum Iesu ipso paradisum ingredere,¹¹⁹ ut percipere possis unde excidisti,¹²⁰ pulcherrima quae inibi sunt contemplator, conuiciatorem cum sua execratione, ut exterius moriatur, relinque. Et si ipse Ioseph Arimatheus efficiaris,¹²¹ corpus ab eis qui eum crucifixerunt pete, ut ille, qui mundum purgavit,¹²² tuus fiat. Tum si Nicodemus, nocturnus Dei cultor pius, fueris, ipsum cum aromatibus sepelito.¹²³ Et si Maria aliqua fueris, siue altera Maria, siue Salome, seu Ioanna, antelucanus plora. Prima sublatum lapidem uidit,¹²⁴ fortassis et angelos, et Iesum ipsum uidit. Loquere aliquid, audi quid loquatur. Si audieris dicentem, Noli me tangere,¹²⁵ procul existas, absque tristitia (!) uenerare Verbum: nouit enim quibus primum appareat. Innoua resurrectionem (!), Aeuē (!) auxiliare, quę prima cecidit. Tu, primus Christum complectendo atque discipulis ipsum manifestando, Petrus aut Ioannes efficiaris. Ad sepulchrum festines, praecurrens ac simul currens,¹²⁶ cursu festinans, in celeberrimo stadio contendens, et si cursu ipso uinceris, studio superato. Ne in sepulchrum tantummodo (!) inclinatus inspicias, sed in intima illius te adige. Et si forte, ut Thomas a coetu /92v/ apostolorum (!) cum Christum uiderunt, abfueris, cum uideris,¹²⁷ ne incredulus esto; et si per te non credes, asseuerantibus fidem adhibeto. Si uero neque ipsis credideris, ad clauorum cicatrices ne incredulus efficiare. Si autem Christus etiam ad inferna descendet,¹²⁸ et illic ipsum sequere et illic mysteria eius addiscas. Quae autem duplicis eius descensus dispensatio, quae ratio habetur? Nam absolute cum primum apparuit, uniuersis salutem praestitit, uel illis etiam qui ibi credentes fuerant.

(25) Si coelum ascenderit,¹²⁹ et tu simul cum eo ascende: adhereas (!) angelis ipsis, uel qui illum comitantur, uel qui suscipiunt. Atolli (!) portis imperabis,¹³⁰ uti altius pateant, ut ille, qui a passione excelsior uenit, recipiatur. Tu illis qui dubitant propter corpus ac passionis eius signa, cum quibus non descendens simul ascendit atque hac de causa quęrunt, Quis est iste rex gloriae, respondebis, Dominus fortis, et potens¹³¹ in uniuersis quae egit, ac perpetuo agit, sed in hoc conflictu praesertim

¹¹⁹ Lc 23,43.

¹²⁰ Apc 2,5.

¹²¹ Lc 23,50 *sqq.*

¹²² I Io 1,7.

¹²³ Io 19,39.

¹²⁴ Mc 16,4.

¹²⁵ Io 20,17.

¹²⁶ Io 20,3–4.

¹²⁷ Io 20,24 *sqq.*

¹²⁸ I Pt 3,19.

¹²⁹ Lc 24,51.

¹³⁰ Ps 23,7.9.

¹³¹ Ps 23,8.

atque tropheo (!), quod in nostrae carnis humilitate adeptus est, et duplicem quæstionem duplici responso absolvas. Et si obstupescant, propter Esaię scriptum, qui ait, Quis est ille qui uenit de Edon¹³² atque de terrestribus, dicentes, Et qua de causa eius uestimenta, qui sanguine ac corpore caret, rubra admodum, et quasi torcular calcantis sunt, prome speciosum passi corporis uestimentum, quod passio ipsa insigniuit, ac quod Deitas /93/ illustrauit, quibus nihil optabilius ac speciosius est.

(26) Ad ista quid nobis nequam impostores atque scelesti Diuinitatis expensores loquentur? Qui illa quae praeconio digna sunt redarguunt, qui in lumine tenebris sunt offusi, qui in sapientia ipsa rudes atque indocti habentur, pro quibus Christus mortem gratis oppetiit.¹³³ O ingrata creatoris tui creatura, o nequissimi figmentum, his Deum ipsum pro beneficiis insimulas? Hac de causa paruus, qui pro te humilis factus est? Quod inter errantes oues optimus pastor uenit, qui animam suam pro suis ouibus posuit.¹³⁴ Te enim in montibus, in quibus sacrificia obtuleras,¹³⁵ errantem inuenit atque humeris suis impositum,¹³⁶ quibus et lignum¹³⁷ gestauit, te rettulit ipsumque quem acceperat supernae uitae munere insigniuit, quem inibi, cum his qui in aeternum permanent, adnumerandum duxit. Pro te (inquam) lucernam, suam uidelicet carnem, accendit¹³⁸ et domum scopis mundauit,¹³⁹ cum mundum ipsum lustraret a peccatis; tunc dragmam ipsam, regiam inquam imaginem, quae passionibus obruta latuerat, quaesiuit atque dilectas sibi potestates, quod dragmam quae perdita fuerat inuenerit, ad se conuocat atque laeticię (!) suae participes efficit, quas et sacrorum mysteriorum ministros constituerat. Enimvero praecurrentem lucernam lumen, quod super omnia illustre est, et uocem oratio, ac sponsae ductorem /93v/ sponsus sequitur. Qui populum acceptabilem domino praeparat, et a quo per aquam in Spiritu lustratur. In hoc Deum redarguis? His de causis ipsum deteriorem putas, quod linteo praecinctus discipulorum suorum pedes lauet,¹⁴⁰ et quod saluberrimum iter exaltationis humilitatem ostendat?¹⁴¹ Quod ob animam¹⁴² in inum deiectam¹⁴³ se ipsum humilem reddidit, ut illud quod ob peccatum infra innuerat secum exaltaret. Illud uero cur non redarguis, quod cum publicanis manducet atque apud publicanos uersetur?¹⁴⁴ Simulque ex publicanis

¹³² Is 63,1 *sqq.*

¹³³ *Correxī ex opeciit.*

¹³⁴ Io 10,11.

¹³⁵ Os 4,13.

¹³⁶ Lc 15,4–5.

¹³⁷ *Correxī ex ligum.*

¹³⁸ Io 5,35.

¹³⁹ Lc 15,8.

¹⁴⁰ Io 13,4 *sqq.*

¹⁴¹ Mt 23,12.

¹⁴² *Correxī ex amimam.*

¹⁴³ *Cf.* Lc 14,11.

¹⁴⁴ Mc 2,15–16.

discipulos elligat (!),¹⁴⁵ ut et ipse quippiam lucretur: quidnam aliud, quam peccatorum salutem lucratus est? Quin et medicum quispiam redarguat, quod affectis incumbat ac grauolentias (!) sustineat, quo illis ualitudinem largiatur? Et qui ad foueam ob benignitatis officium inclinat, ut secundum legem¹⁴⁶ iumento quod in eam inciderat salutem praestet.

(27) Misus (!) quidem fuit, sed tanquam homo, duplex enim fuerat. Nam et lassabatur et fame atque siti laborauit, timuit, fleuit, sed corporis lege. Si autem et tanquam Deus missus fuit, quid hoc? Beneplacitum Patris missionem¹⁴⁷ esse existima, ad quem quae sua sunt refert ipsumque quasi principium sine tempore honore prosequitur; et ne Deo esse contrarius uideretur, ipsum traditum fuisse dicitur. Sed et quod se ipsum tradiderit,¹⁴⁸ in Scriptura est; tum a Patre ipso suscitatum et ad coelos sublatum, sed et se ipsum suscitauit a mortuis¹⁴⁹ et per se ipsum ad coelos illum ascendisse denuo scriptum est. Illa enim Patris /94/ beneplaciti, haec uero potestatis habentur. Tu autem ea quae exaltant missa faciendo, quae deprimunt scrutaris. Quod ipse passus est asseueras, quod autem ultro pasus (!) fuerit haud equidem addis. Qualia et nunc Verbum patitur. Nam quibusdam quasi Deus colitur et coniungitur, quidam uero ipsum quasi carnem despiciunt ac secernunt. Quibusdam plus disiungitur, quibusdam uero magis coniungitur, qui male ipsum coniungunt, uel qui scindunt. Et quidem alteros diuidere oportuit, alteros uero coniungere, et alteros quidem numero, alteros diuinitate. Carnine conuiciaris? Hoc et Iudaei faciunt. Sed et Samaritanum apellas (!):¹⁵⁰ caetera uero silentio transigam. De diuinitate incredulus es, hoc neque daemones faciunt. Heu, qui daemones incredulitate, Iudaeos uero stulticia (!) uincis. Hi Filii appellationem honoris aequalitatis uocem putarunt:¹⁵¹ illis se uexantem Deum agnouerunt, ex his quae passi sunt, qui erant percipientes.¹⁵² Tu neque aequalitatem admittis, neque diuinitatem ipsam uis confiteri? Praestabat enim tibi circumcidi atque daemonem sapere (ut id etiam ridicule dicam) quam in praeputio ac sanitate flagiciis (!) atque impietate oppressum (!) detineri. Atqui bellum, quod contra ipsos est, uel tandem si prudentiores euadere statuerint, soluatur, uel si neglexerint atque in eadem mente persistere proposuerint, differatur. Nihil profecto nobis formidandum est, cum pro Trinitate ipsa ab ipsa Trinitate adiuti certamen inierimus. /94v/

(28) Nunc autem nobis hoc pacto peroratione uti necesse est. Nati enim sumus, ut cum iocunditate uiuamus: cum iocunditate uiximus, quia nati sumus.

¹⁴⁵ Lc 15,2.

¹⁴⁶ Dt 22,4.

¹⁴⁷ Gal 4,4.

¹⁴⁸ Io 10,18.

¹⁴⁹ Eph 4,8 *sqq.*

¹⁵⁰ Io 8,48.

¹⁵¹ Mc 5,7.

¹⁵² Mc 5,14 *sqq.*

Paradisus nobis est creditus, ut deliciis fruamur. Mandatum accepimus, ut in eius obseruatione probaremur, cum Deus ipse futuri haudquaquam esset ignarus, sed qui liberam nostri uoluntatem sanciret. Inuidia stimulante decepti fuimus, preuaricationis (!) causa cecidimus, ieiunia passi sumus, cum a ligno cognitionis, a quo prohibebamur, non abstinuimus. Mandatum quidem antiquum (!) erat, et nostris temporibus coaeuum, quod animae nostrae adhortatio quaedam extitit, et uoluptatum moderatio, quae iusta ratione imposita fuit, ut illo custodientes frueremur, quod non custodientes amissimus (!). Opus nobis Deo incarnato et mortuo fuerat, ut uita frueremur. Commortui fuimus, ut perpurgemur. Consureximus (!), quoniam commortui fuimus. Simul glorificati fuimus, eo quod consureximus (!).

(29) Illius nanque temporis plurima miracula sunt: Deus cruci fuit affixus, Sol obscuratus denuo lumen recepit, ut creatura creatori suo compateretur necessarium extitit. Velum scissum est, latus sanguinem atque aquam effudit, alterum quidem, ut hominis fuit, alterum uero, quod hominis condicionem excedit; terra tremuit, petrae scisse (!) sunt, mortui in fidem nouissimae et communis resurrectionis (!) surexerunt (!). Signa ante sepulchrum /95/ et post sepulchrum apparuere, quae pro dignitate celebrare quis posset? Nihil enim ueluti nostrae salutis miraculum est.¹⁵³ Exiguae sanguinis guttę uniuersum mundum instaurarunt et omnibus mortalibus tanquam coagulum lacti extitere, dum omnes nos in unum consererent atque congregarent.

(30) Verum, o Pascha magnum atque sanctum, et quod uniuersum mundum purgasti, te quasi anima praeditum alloquar. O Dei Verbum, o Lumen, o Vita, o Sapientia et Potestas, in omnibus tuis nominibus magno afficior gaudio. O magne illius mentis Generatio et Cogitatio, atque expressa Similitudo, o Verbum, quod intellectus contempletur. O Homo, quem sensus speculatur, qui uniuersa fers, uerbo tuae potestatis deuinciens, nunc autem haec tibi nostra oratio sit, non primiciae (!) quidem, sed nostrae fortassis fruicionis (!) complementum, eademque gratiarum actio ac supplicatio nihil nos ab exterioribus necessitatibus, quae graues admodum sunt, quibuscum uiuimus, affligi debere. Tum maximam in corpore nostro tyrannidem cohibe, quae nos (ut uides) tantopere intorquet, uel tuam potius sententiam si purgamur abs te. Si uero nos pro nostri desyderio disolui (!) contigerit atque in coelestia tabernacula recipiemur, illic etiam tibi fortassis acceptabile sacrificium in sancto tuo altari offeremus. O Pater, Verbum et Sancte /95v/ Spiritus, tibi sit omnis gloria, honor et potestas in saecula seculorum. Amen.

Finis

¹⁵³ *Haec et sequens sententia (Nihil enim... congregarent) lineari decoratione et litteris Not. in margine notatae sunt.*

Marta Kontić

THE 45TH ORATION OF ST GREGORY OF NAZIANZUS IN THE LATIN
TRANSLATION OF NIKOLA PETROVIĆ

When Šime Jurić rediscovered manuscript MS G 99 in the Biblioteca comunale Augusta in Perugia, he marked a new beginning in the study of the life and work of author and scribe Nikola Petrović (1486–1568). The subject of the present paper is one of Petrović's translations from Greek into Latin that has not yet been philologically examined. This is the 45th Oration of St Gregory of Nazianzus (4th century), entitled in Greek Εἰς τὸ ἅγιον Πάσχα and in Latin *Oratio in sanctum Pascha*. The edition of the text is preceded by a discussion of contexts and analysis of the translation, and identification of the Greek versions from which Petrović translated.

The 45th Oration is the last extant sermon of Gregory of Nazianzus; it was delivered in Arianzus in about 385. A large part of the text consists of skilfully interwoven scriptural references; two major sections are borrowed from Gregory's 38th Oration. Various themes taken up in the sermon are unified by reference to a series of events related to the divine decision to guide and redeem the human race, with an emphasis on the Resurrection.

Nikola Petrović decided to use in his translation of Gregory's 45th Oration elements of medieval Latin and the language of the Vulgate, in order to preserve the distinctive idiom of the original text, which is itself shot through with references from the Scriptures. Some of the devices that the translator used to bring his language closer to that of the Bible are the analytical and periphrastic expressions, the increased use of gerunds and the use of demonstrative pronouns as articles. Petrović's translation often expands the compact Greek original.

Identification of the Greek transcriptions used for the translation is made possible by Petrović's letter to Abbot Crisostomo, the Benedictine from Monte Cassino who presided over the Mljet congregation. In the letter Petrović reveals that while translating he had access to three versions of the oration; he compared the basis of the translation, a printed edition (probably the Aldine of 1516) with two manuscript copies, one of which turned out to be less valuable for establishing the correct text. Some of the instances in the translation must have been caused by textual variants in the versions used by Petrović. The dating of the letter to Abbot Crisostomo place the *terminus ante quem* of Petrović's translation in either 1549 or 1550.

Keywords: Nikola Petrović, Korčula, Dubrovnik, Gregory of Nazianzus, the 45th Oration of Gregory of Nazianzus, Renaissance humanism, translation, manuscript, Greek patristic literature